



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

CLII. Johann Vlogel, Official des Bischofes von Verden, beglaubigt auf Antrag des Klosters zum heil. Geist zu Salzwedel die päpstliche Bestätigung der Carolinischen Verordnung gegen die Beschädiger ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56044)

irreuerenciam ecclesiis et personis ecclesiasticis inducat ac deuotionem refrigescere faciat et exstinguat, Igitur premissa sollerter attendentes cognouimus et ad sensum patet intuentibus, tantam inter monasterium et opidum predictum esse distanciam, quod vnum non sit de alterius suburbiis nec de edificiis continentibus. Quare presencium auctoritate volumus, declaramus et decernimus, Quod cum in opido soltwedel antedicto seruatur interdictum uel cessacio diuinorum, propter hoc prepositus et Conuentus monasterii sancti spiritus predicti non tenentur ad interdictum uel cessacionem diuinorum, nec clementina puniens religiosos interdictum non seruantes, cum sciuerunt matricem ecclesiam interdictum obseruare, locum sibi vendicat in hac parte, nisi forte in aliis causis interdicti uel cessacionis diuinorum et saltem legitimus locus esset. Additum preterea, in Jure cautum esse, quod si de vsu vulgari et obseruancia apparet, usque ad quem locum se extendunt suburbia et edificia continencia, standum est illi obseruacioni, quod si non apparet, standum est arbitrio boni viri, id est iudicis ordinarii. Propter premissa precipimus et districte precipiendo mandamus, quatenus rectores diuinorum opidi et monasterii predictorum iuxta antiquam obseruanciam et nostram declaracionem se conforment, non obstante si dominus nunc archiepiscopus tunc werdenfis episcopus aliud statuit et mandauit, verisimiliter minus sufficienter informatus, Cuius mandatum, quoad premissa tollimus et cassamus. Nos insuper contra quoslibet inobedientes et nostre declaracioni contradictores et rebelles, trina tamen et Canonica monicione premissa, excommunicacionis sentenciam in nomine domini ferimus in hiis scriptis. Datum, actum et decretum luneborgh in Curia nostra episcopali, Anno domini Millefimo Trecentesimo nonagesimo sexto, in vigilia omnium sanctorum, nostro sub Sigillo presentibus appenso.

Aus dem Copiarium des heil. Geist-Klosters zu Salzwedel fol. 6.

CLII. Johann Blogel, Official des Bischofes von Verden, beglaubigt auf Antrag des Klosters zum heil. Geist zu Salzwedel die päpstliche Bestätigung der Carolinischen Verordnung gegen die Beschädiger der Kirche, vom 4. Juni 1398.

Johannes vloghel, officialis curie werdenfis generalis, vniuersis et singulis Abbatibus, prepositis, prioribus, decanis, Conuentibus, Capitulis et Canonicis Aliisque prelati, Quibuscunque vocentur nominibus, tam Regularium quam collegiatarum ecclesiarum Aliorumque diuinorum Rectoribus seu eorum loca tenentibus quibuscunque per werdenfem diocesin et alias vbilibet constitutis, quibus presentes litteras nostras exhiberi contigerit, Salutem in domino et presentibus plenam dare fidem. Ad omnium vestrum et singulorum noticiam deducimus, quod constitutus in presenciam nostra honorabilis et Religiosus dominus Johannes Tzinghelman, professus Monasterii sancti spiritus extra muros soltwedel dicte werdenfis diocesis, procurator in hac parte venerabilium virorum dominorum prepositi et Conuentus dicti Monasterii sancti spiritus, nobis instanter supplicauit, Quatenus litteras apostolicas Incipientes Iustis et honestis supplicum votis libenter annuimus etc. super constitutione karolina, Nuper per Sanctissimum in cristo patrem et dominum nostrum dominum Bonifacium diuina prouidencia papam Nonum Episcopo, prelati et Clero Ecclesie

et dioecesis verdenfis gracioſe conceſſas prefatis prepoſito et Conuentui per tranſumptum cum interpoſicione decreti noſtri per infraſcriptum notarium publicari et appenſione ſigilli noſtri roborare curaremus. Nos igitur, petitioni dicti procuratoris annuentes, prefatas litteras apoſtolicas more Romane curie in filo canapis Bulla plumbea bullatas, ſanas et integras ac omni vicio et ſuſpicionē carentes Infraſcripto Notario tradidimus fideliter exemplandas, decernentes, ut huiusmodi tranſumpto adhiberi poſſit et valeat vbique, ſicut ipſis litteris apoſtolicis, quoad contenta in eis, plena fides. Tenor autem predictarum litterarum apoſtolicarum ſequitur in hec verba:

Bonifacius epifcopus, ſeruus ſeruorum dei, dilectis filiis, Abbati monaſterii ſanctorum petri et pauli padeburnenſis et ſancti Bonifacii hamelenſis Mindenſis dioeciſis ac ſancti Mauricii extra muros hildeſemenſes eccleſiarum decanis Salutem et apoſtolicam benedictionem. Juſtis et honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus illaque fauoribus proſequimur oportunis. Dudum ſiquidem feliciſ recordacionis honorius papa III., predeceſſor noſter, attente conſiderans, quod clare memorie fredericus ſecundus, Romanus Imperator ſemper Auguſtus, ad laudem Romane eccleſie et ſacri decus Imperii cupiens, ut, expurgatis quorundam erroribus et iniquis ſtatutis penitus deſtitutis, de cetero eccleſia et eccleſiaſtica perſone plena vigerent quiete et ſecura libertate gauderent ac pie et iuſte attendens, quod quorundam peruerſorum iniquitas adeo habundauerat, ut non dubitarent contra eccleſiaſticam diſciplinam et ſacros Canones ſtatuta configere aduerſus eccleſiaſticas perſonas et eccleſiaſticam libertatem, edictali lege huiusmodi ſtatuta iniqua irritauerat et preceperat irrita nunciari et omnia ſtatuta et conſuetudines, que Ciuitates et loca, poteſtates uel Conſules aut quecunque alie perſone contra libertatem eccleſie uel perſonas eccleſiaſticas edere uel ſeruare temptarent contra Canonicas uel imperiales ſanctiones de ipſorum capitularibus, infra duos meſes poſt ipſius legis publicationem penitus aboleri facerent, et ſi de cetero talia attemptarent, eo ipſo Jure decreuerat eſſe nulla et eos ſua Iuriſdictione priuatos necnon locum, ubi talia deinceps preſumpta fuiſſent, Banno mille marcarum auri preceperat ſubiacere; poteſtates vero, Conſules, Statutarii et Scriptores ſtatutorum predictorum necnon Conſiliarii locorum ipſorum, qui ſecundum ſtatuta et conſuetudines memoratas iudicaret, extunc eſſent ipſo iure infames, quorum ſentencias et actus legitimos ſtatuerat aliquatenus non tenere; quodque, ſi per annum prefate Conſtitucionis fuiſſent inuenti contemptores, bona eorum per totum ſuum Imperium mandauit Impune ab omnibus occupari, Saluis nicholominus aliis penis contra tales in generali Conſilio promulgatis. Inſuper voluerat idem Imperator, quod nulla Communitas ſeu perſona publica uel priuata collectas ſeu exactiones, angarias uel parangarias eccleſiis uel aliis piis locis aut eccleſiaſticis perſonis imponerent uel inuadere eccleſiaſtica bona preſumerent; quod ſi ſecus facerent et requiſiti ab eccleſia uel Imperio emendare contempnerent, triplum refunderent et nichilominus Banno Imperiali ſubiacerent, quod abſque ſatiffactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat inſuper, quod quecunque Communitas uel perſona per annum in excommunicatione propter libertatem eccleſie violatam perſiſterent, ipſo iure huiusmodi banno Imperiali ſubiacerent, a quo nullatenus extraherentur, niſi prius ab eccleſia beneficio abſolutionis obtento. Et inſuper ordinauerat, ut nullus eccleſiaſticam perſonam in Criminali queſtione uel Ciuili trahere ad Iudicium ſeculare preſumeret contra Canonicas ſanctiones et Conſtituciones Imperiales; quod ſi ſecus faceret, actor a ſuo Jure caderet, iudicatum non teneret et Iudex foret extunc iudicandi auctoritate priuatus; Quodque iudices temporales, qui clericis uel perſonis eccleſiaſticis iuſticiam denegare preſumerent, Tercio requiſiti ſuam Iuriſdictionem amitterent, prout in dicta Imperiali Conſtitutione plenius continetur. Dictus, inquam, predeceſſor noſter conſtitucionem ipſam de Conſilio eciam fratrum ſuorum ſancte Romane eccleſie Cardinalium auctoritate apoſtolica approbans

et confirmans ipsam mandauit inuolabiliter obseruari necnon Statutarios et scriptores ac violatores predictos excommunicatos apostolica auctoritate predicta publice nunciari. Et deinde Audienciam diue memorie Caroli quarti, eciam Romani Imperatoris semper Augusti, deducto, quod non-nulle seculares persone in potestatibus et officiis publicis constitute, videlicet duces, Comites, Barones et alii domini temporales necnon Consules Ciuitatum, opidorum, villarum et locorum Rectores in nonnullis prouinciis constituti dei timore postposito statuta singularia et iniquas ordinationes motu proprio et de facto contra personas ecclesiasticas, ecclesiarum libertates et eorum priuilegia considerant eisque de facto et publice insistere presumpserant contra canonicas et legitimas sanctiones, vtpote quod nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferentur, neue clerici in sacris constituti ad agendum et testificandum in Ciuilibus et maxime in piis causis admitterentur, Quodque excommunicati layci et publice denunciati in Ciuili foro minime repellerentur, Et insuper cum predicti domini temporales, Consules et Rectores per secularem potestatem res et bona clericorum occuparent, arrestarent et oblationes cristifidelium detinerent et refringerent, exactiones et tallias indebitas de bonis et redditibus ecclesiarum exigerent et extorquerent, possessiones ecclesiarum et personarum earundem deuastarent incendiis et Rapinis, Contractus inter clericos et laycos factos legitime ad libros Ciuitatum, villarum et locorum predictorum inscribere et sigillare recusarent, Donata et legata ad fabricas et ecclesiarum structuras contra prelatorum voluntatem et aliorum, quorum intererat, contra iusticiam vsurpare presumerent, et in fraudem ac odium clericorum de bonis eciam et rebus clericorum, que non causa negociacionis sed pro eorum propriis vsibus per eorum terras ducebant seu duci faciebant, Theolonium recipere et exigere non verebantur, et confugientes ad ecclesias et eorum (sic!) Cimiteria inde extrahere contra sanctiones Imperiales presumpserant, Idem Carolus Imperator tamquam cristianissimus princeps volens in premissis prouidere de remedio salutari, Eciam de principum, ducum, Comitum, Baronum fideliumque aliorum sacri Imperii Consilio et auctoritate Imperiali, quecunque statuta et consuetudines predicta tamquam per Canonicas et Ciuiles sanctiones expresse reprobata cassauit, irritauit et annullauit ac cassa et irrita nulliusque esse roboris penitus voluit uel momenti, precipiens sub indignatione Imperialis Banni vniuersis et singulis principibus ac dominis temporalibus, Consulibus, potestatibus et aliis in officiis publice constitutis, ut extunc ipsorum statuta et ordinationes, sicut in preiudicium ecclesiastice libertatis de facto edita fuerant, omnino reuocarent et de luce tollerent, quodque secundum ea non iudicarent amplius nec sententias dictarent aut eisdem in iudicio uel extra iudicium quomodolibet pro se et contra ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciauit insuper ac eadem Imperiali auctoritate decreuit, quod quicumque laycus, cuiuscunque status uel condicionis existeret, qui ausu sacrilego et proprie temeritatis audacia sacerdotem uel clericum secularem aut Religiosum diffidaret, proferiberet, captiuaret, spoliaret, occideret, mutilaret aut in carcere detineret aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaret uel fauorem eis prestaret, preter penas a sacris canonibus et legalibus sanctionibus eis inflictas eo ipso redderetur infamis ac omni honore priuatus nec ad placita uel consilia nobilium admitteretur quouismodo; Hortans insuper in domino et requirens prelatos in illis partibus constitutos, ut legem Imperialem huiusmodi per eorum ecclesias et Synodos publicarent, ne transgressores huiusmodi per simulatam ignoranciam suas valerent malicias excusare, prout in edictali lege predicta plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Dilectorum filiorum Theoderici Electi verdenfis et Cleri sibi subiecti peticio continebat, adeo quorundam armigerorum et aliorum laicorum necnon dominorum temporalium verdenfis ac Bremenfis, Hildesemenfis et Mindenfis Ciuitatum et diocesium necnon ducatus luneburgensis et locorum circumuicinarum

malicia inoleuerit, quod huiusmodi Imperiales sanctiones transgredi non verentur ac ecclesiasticas libertates et iura ecclesie necnon Episcopalis mense verdenfis ac Cleri huiusmodi multifarie violare presumant contra constitutiones antedictas, pro parte Electi et Cleri prefatorum fuit nobis humiliter supplicatum, vt eis providere super premisis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, vestigiis prefati predecessoris nostri inherentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos uel duo aut vnus vestrum per vos uel alium seu alios Constitutiones predictas in Ciuitate et diocesi verdenfi ac locis circumuicinis eisdem auctoritate nostra faciatis inuiolabiliter obseruari, transgressores ac violatores et contemptores ac sacrilegos predictos necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellacione postposita eadem auctoritate compescendo, Inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape octauis, eciam predecessoris nostri, et aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, Seu si aliquibus communiter uel diuim a sede apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi uel excommunicari aut vltra extra certa loca ad Iudicium euocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem; presentes autem litteras per concedentis obitum nolumus expirare. Datum Rome apud sanctum petrum, secundo Nonas Junii, pontificatus nostri anno Nono.

Acta sunt hec luneborch In domo habitacionis nostre prope Cimiterium fratrum minorum ibidem diocesis verdenfis prefate, Anno domini Millefimo Quadringentesimo, Indictione octaua, Mensis Septembris die XV, hora quasi vesperorum, pontificatus Sanctissimi in cristo patris ac domini nostri domini Bonifacii diuina prouidencia pape Noni Anno vndecimo, Presentibus discretis viris domino Johanne Schonevelt, Rectore parrochialis ecclesie in vylbom, presbitero, et Johanne de Bodensen, Clerico diete verdenfis diocesis, Testibus ad premissa vocatis specialiter et Rogatis.

Signum et subscriptio Theoderici de Geynzen, clerici verdenfis dyocesis, publici Imperiali auctoritate Notarii, ad premissa patent in vero transumpto (sic!)

Aus dem Copiarium des h. Geist-Klosters zu Salzwehel fol. 16.

CLIII. Herzog Otto von Braunschweig befundet, dem Ritter Crucemann sechs Wenden in Banzeve bereignet zu haben, am 29. November 1398.

CLIII. Herzog Otto von Braunschweig befundet, dem Ritter Crucemann sechs Wenden in Banzeve bereignet zu haben, am 29. November 1398.

Dei gracia Nos Otto, dux de brunswich et de luneborch, omnibus hanc litteram visuris Salutem recognoscimus et tenore presencium publice protestamur, Quod Strennuo militi domino quidam Cruceman Damus omnem proprietatem, quam habemus uel habere dinoscimur in villa Bantzeue in sex flauis ibidem commorantibus cum omni Jure, quod habuimus in villa iam prefata. Ad maiorem euidenciam nostrum Sigillum presentibus est appensum. Huius rei testes sunt Hinricus de zwerin, Alquinus de Salder, Berteld de Reden ac alii quam plures fide digni. Datum luneborg, Anno domini M^o. CCC^o. LXXXVIII^o., in vigilia Sancti Andree.

Aus dem Copiarium des heil. Geist-Klosters zu Salzwehel fol. 46.